

\* P \* V \* I \* S \*

\* 1 \* 6 \* 2 \* 4 \*



- I. Eximius Theologorum Augusto Principi Anhaltino Nuptias celebranti consecratum à M. Zacharia Wemmemperzo.
- II. Casuum conjectio, quibus moti Status Regni Bohemiae ad Novum Regem Electionem processerunt.
- III. Secretissima Instructio Frederico V. Electori Palatino data.
- IV. ~~Summa~~ ~~Refugior~~ ad Christianum Daniae Regem Joan. Angelum.
- V. Soteria Academiae Witebergensis Johanni Georgio Electori Sax. soluta.
- VI. Idea Principis Boni seu Oratio de vita et Obitu Johannis Georgii Principis Anhaltini M. Meeri Frederici Wendelini.
- VII. Panegyricus Parentalis Rudolpho Principi Anhaltino de Fur. & Edom.
- VIII. De vita et Obitu Johannis Georgii Principis Anhaltini D. Cyriaci Herdesiam.
- IX. Narratio Ueberius de Johannis Georgii Principis Anhaltini vita et Obitu.
- X. Halitodonia Tremidie Francofurtanae D. Cyriaci Herdesiam.
- XI. Casparis Domani Evergetes Christianus de vita et Morte Georgii a Schönauich.
- XII. De Industria et Studio Laboris M. Samuelis Dreyemii.
- XIII. De Aeris Salubritate et Studiorum Communitate in valle Joachimici eiusdem.
- XIV. De Eruditione, Utrum Literarum Cultoribus per peregrinatio?
- XV. De Origine et Incrementis Cottoniae M. Benedicti Ambrosii.
- XVI. De vita et Morte Joachimi Straburgi Wilhelmi Straburgi.
- XVII. Iusta Funeraria Johannis Everhardi in choro tumere sublatis.
- XVIII. Programmata Publicum Academiae Francofurtensis.
- XIX. Inuitatio Publica ad Doctoratum D. Cyriaci Herdesiam.
- XX. De Ratione Status et Prudentia Regnatia Martini Milagii.
- XXI. De Spiritibus Familiaribus.
- XXII. Solemne Funus Octavianii de Schließen
- XXIII. Exequis Solemnes Johanni Christophori Herdesiam.

- XVIII. *Iusta Funeraria D. Grici Herdesiam Conjugis.*  
 XIX. *De Pestibus Stuctiorum M. Wulstorfii.*  
 XX. *De Expeditione Xerxis in Græciam Henrici Pietipertkyh.*  
 XXI. *Johannis Apianii Sylloge Libellorum.*  
 XXII. *Gymnasii Brandenburgici in valle Joachimici Lege.*  
 XXIII. *Gymnasii eundem Gymnasii.*





ΓΑΜΗΛΙΟΝ THEOLOGICUM

Consecratum nuptijs

*Illustrissimi & Generosissimi Principis ac Domini,*

**Dn. AUGU-  
STI, PRINCIPIS  
ANHALTINI, COMI-  
TIS ASCANIÆ, ET DO-  
MINI Servestæ & Berenburgi.**

Ac

*Illustris & Generosa Domina,*

**DN. SIBYLLA**

Comit. Solmensis, Dn. in Müntzenberga &  
Sonnevvalda, D. D. S. S. clementissimis.

*à Reuza Tuaroz*

**M. ZACHARIA VVENNEMEYER O** Asca-  
nio in Ecclesiâ & aulâ Plôtzkavianâ Pastore.

*Continet hoc γαμήλιον locum de communionē Christi & Ecclesiæ.*



Additum est votum pro felici & salutari Conjugio.

ANNO M. DC. XVIII.

*Nh. 122*



KONPRER  
UNIVERS  
ZVHALLE



*Psalmo 45. vers. 11. & 12.*

*Audi filia, ac vide, & inclina aurem tuam; obliviscereq; populi tui, & domus paternæ tuæ.*

*Et delectabitur rex pulcritudine tuâ: cumque sit Dominus tuus, incurva te. (habens honorem ei.)*

*Ex interpretatione Tremelliana & Juniana*


*Sensum ita reddidit D. HENR. MOLL, Hamb.*

*Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populi tui, & domus patris tui.*

*Et concupiscet rex decorem tuum: quoniam hic est Dominus tuus, & adorabis eum.*

DO





DOCTRINA  
DE COMMUNIONE  
CHRISTI, ET ECCLESIAE  
aphorismis comprehensa.

I.

AN SIT?

ESSE communionem Christi & Ecclesiae, disertis Scripturae dictis asseritur, & ἡ ἑσθλὴ ἑσθλῶς illustratur.

*Est Christi  
& Ecclesiae  
commu-  
nio.*

2.

1. Job. 1. 3.

Dicta diserta sunt: Quod vidimus & audivimus, id annunciamus vobis, ut & vos communionem habeatis nobiscum, & communio nostra sit cum patre & filio ejus Jesu Christo.

*Probatio  
ex dictis  
disertis.*

Job. 6. 54.

Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, manet in me, & ego in eo.

15. 4.

Ephes. 3. 17.

Manete in me, & ego in vobis.  
Christus per fidem habitat in cordibus nostris.

A 2

3. Pa.



DOCTRINA DE COMMUNIONE

*Job. 15. 1.*

*Eph. 5. 23.*

*Job. 3. 29.*

Parabolicè dicta hæc : Ego sum vitis, vos palmites. item : Christus est caput Ecclesiæ, caro de carne, & os, de ossibus nostris. Christus est Sponsus Ecclesiæ.

*Parabolicis.*

*Alia omitto.*

4.

QV ID SIT?

*Phil. 2. 6.*

Est autem Communio Christi & Ecclesiæ omniumq; verè credentium, non corporalis, terrena & visibilis, sed spiritualis, cælestis & invisibilis unio & conjunctio vera, viva ac perpetua, & talis quidē, quā, ut æterni patris decreto, Christus æterni DEI filius, in plenitudine temporis, nequaquam per rapinam estimavit illud, quòd esset æqualis DEO (nempe æterno Patri *συναιδι & ἰσμοσύνη*.) Sed semetipsum exinanivit, & formam servi accepit, factusq; est in forma filiorū hominis, non Angelos, sed semen Abrahami, id est, humanam naturam, constantem anima rationali & humana carne, assumpsit, vereq; factus est caro de carne nostra, & os de ossibus nostris, similisq; fratribus omnibus sine omni peccato, & in se conjici sivit peccata omnium nostrum, & iram DEI

*Communio Christi & Ecclesiæ quid sit?*

*Hæc definitio legem aphorismi excedit.*

*Heb. 2. 16.*

*Eph. 5. 30.*

*Ebr. 2. 17.*

justif-



justissimam in se derivavit, factusq; est in ligno crucis *κατάρα*, verè mortuus, & in inferiores terræ partes delatus: ita & caput & Dominus omnium electorū constitutus, membra ex genere humano sibi destinata, & oves dono æterni Patris acceptas, & precioso suo sanguine redemptas, sanctè & efficaciter vocat & illuminat per vocem Evangelij & Spiritū sanctum, ijsq; fide donatis gratiam æterni Patris & *ὕιοθεοτων* (jus filiorum Dei) & Spiritum hujus, R. P. justitiam & vitam æternam confert, sibiq; ita unit per spiritum suum & fidem in illis accensam, ut ipsimet non sui juris, sed Christi sint peculium, non sibi, sed Christo, immò Christus in ipsis vivat & patiatur, ipsius spiritu regantur, potentia serventur, & defendantur, ut portæ inferorum ipsis nō prævaleant, & in æternum ex manibus ipsius eripi nequeant: quin & mortui hominib<sup>9</sup> ac interrā delati, ipsi vivant. Quæ autē per Spiritū Christi in electis fide & spe in hac vita inchoatur, & usq; ad extremū vitæ halitum continuatur, in futura vita re & veritate cōsummabitur, ubi ipse erit in omnibus omnia.

Matth. 28.  
v. ult.

1. Cor. 13.  
12. 15. 28.

Esa. 53. 6.

Gal. 3. 13.

Eph. 4. 9.

Eph. 1. 22.

5. 23.

Job. 10. 29.

14.

16.

Rom. 14. 13.

Gal. 2. 20.

Actor. 9. 4.

Iob. 14. 16.

Matth. 16.

18.

Iob. 20. 28.

11. 25.



DOCTRINA DE COMMUNIONE

5.

Hæc definitio cum ex ipsis sacrarum literarum fontibus sit hausta, prout loca in margine annotata demonstrât, omnibus pijs satisfacit, & consolationem uberissimam præbet.

*Ἀνάλυσις  
definitio-  
nis.*

6.

*Eph. 1.*

Nam hujus communionis causam procreantem monstrat, nempe æternum patrem, ex cujus gratioso decreto totum opus nostræ redemptionis pendet: impulsivam qui quærit, *Ἐδοξίαν* & misericordiam æternam inveniet.

*Causa pro-  
creans est  
et. Pater.*

*Impulsiva,  
Ἐδοξία  
& miseri-  
cordia.*

7.

Approbens & consummans causa est Filius DEI, promptissimus ad capeffenda & facienda æterni patris decreta & imperata.

*Approbās  
Filius Dei.*

8.

*Psal. 40. 7.  
7. 8. 9.*

Ita enim inquit: Sacrificio & munere non delectatus es. Aures perfodisti mihi: holocaustum & oblationem pro peccato non expetivisti. Tum dixi, Ecce venio, in volumine libri scriptum est de me: facere voluntatem tuam, DEUS mi, delector.

9. Er-

9.

Ebr. 2. 7.

Eph. 5. 2.

Col. 1. 20.

Gal. 4. 4.

Ergo ut mansit, quod ab æterno erat: ita assumpsit, quod non erat: & ut assumptione carnis nostræ communionem nobiscum fecit veram & æternam, ita in ea æterno patri oblatus *εις ὁμοιωσάμενος*, ei nos reconciliavit, & donatis jure filiorum DEI, æterni patris amorem & communionem ac æterni regni possessionem acquisivit.

Filius Dei assumpsit, quod non erat, manens quod erat.

Nos filiorum Dei jure donat.

10.

Hæc communione major nulla.

Ut enim ipse est *μονογενής* *ἡ* *ἐκ* *αἰδίου* æterni patris filius, ita nos fecit *καθεστωμένους*, filios adoptivos, æternique patris hæredes, suos autem cohæredes.

Joh. 1. 14.

Eph. 1.

Rom. 8. 17.

11.

Hæc communio & societas tam arcta est, tam constans, tam augusta, tam excellens, ut in cælo & terrâ arctior & constantior dari nequeat.

12.

Nam DEI filium & hæredem, Christi que hæredis super omnia constituti cohæredem esse, omnia omnium homi-

num

DOCTRINA DE COMMUNIONE

num regalia, omnes dignitates & eminentias superat.

13.

CAUSA  
CONFIR-  
MANS S.  
S.

Accedit causa confirmans & obfirmans, & in electis tantum bonum efficiens causa, nempe Spiritus S. Spiritus *inobediens* dictus.

*Ibid.* v. 9.

*Rom.* 8. 15.

14.

Confirma-  
tio hujus  
asserti.

Ut enim æternus pater filium unigenitum oleo gaudij unxit præ consortibus. (Neque enim filio à se destinato capiti & Domino Ecclesiæ pater spiritum dat in mensurâ) Perq; spiritum eundem obfirmavit in officio imposito: Ita & nemo Christum Dominum dicere potest, nisi per Spiritum ejus, id est, nemo ex omnium hominum numero potest certissime persuasum habere, quod sit in gratiâ, & Filius Dei unigenito unitus, & æterno patri reconciliatus, nisi ipsi Spiritus sanctus hoc contulerit. Nam qui ducuntur Spiritu Dei, hi sunt filij DEI. Et spiritus DEI testatur spiritui nostro, quod simus filij DEI.

*Psal.* 45. 8.

*Iob.* 3. 6. 27.

*I. Cor.* 12. 3.

*Rom.* 8. 14.

17.

15. Hæc



15.

Hæc autem Communio & Conjun-  
ctio eò magis miranda est, quò notius in  
Ecclesiâ, quàm sceleratè & malitiosè ho-  
mines à Deo creatore suo desciverint, &  
amissâ DEI imagine, verè gloria illa DEI  
sint privati, & à capite suo miserabiliter  
avulsi.

*Communi-  
o cur ad  
miranda.*

16.

Quam miseriam non tantum scriptu-  
ra passim monstrat, sed & Apostolus in-  
signi verbo considerandam proponit E-  
phesijs scribens: Placuit Deo ἀνακεφαλαιώ-  
σα ἃ τὰ πάντα ἐν τῷ Χριστῷ τότε ἐν τοῖς ἔργοις καὶ  
ἰσχύϊ τῆς γῆς.

10.

17.

De quo verbo, ut paululum à mate-  
riâ propositâ digrediar, ita Clarissimus  
Theologus Victorinus Strigelius in hy-  
pomnematis:

*De verbo  
ἀνακεφαλαιώ-  
σα ἃ τὰ πάντα  
ἐν τῷ Χριστῷ.*

Hæc vox non tantum significat sum-  
matim aliquid colligere, sive in summam  
conclusionis redigere, &c. Sed etiam i-  
dem præ se fert, ac si dicas, reducere ad  
caput, ut cum adultera reconciliatur ma-  
rito suo innocenti, & reducitur ad ma-

*Sententia  
Victorini.*

B

ritò.



DOCTRINA DE COMMUNIONE

ritum, tanquam caput. Sic subditi post reconciliationem velut ad unum caput reducuntur.

18.

Ita hoc loco Paulus insigni verbo usus lectorem de quinque rebus admonet.

*De quinque rebus docet.*

19.

Primum de fine, ad quem condita est humana natura. Non casu natum est genus humanum, nec frustra conditum est, sed ob eam causam ad imaginem Dei effictum atque expressum est, ut cum conditore Deo copulatum esset eâ *συνπαρέσεια*, qua corpus cum capite colligatum est.

*Cur homines conditi.*

20.

Ut enim corpus à capite sensum, motum & vitam accipit: sic hominum natura ante lapsum vivificabatur à Spiritu S. & agitabatur motibus congruentibus cum voluntate Dei.

21.

Deinde eadem vox nos commonefacit de tristi amputatione, quâ genus humanum à capite, id est, à DEO avulsum est. Ut enim de Priamo interfecto Virgi-

*Tristi amputatione genus humanum à Deo avulsum.*

lius

lius inquit: — — — *Jacet ingens littore truncus,  
Avulsumq; pumeris caput & sine nomine corpus;*  
Sic genus humanum post lapsum capite  
& gubernatore mentis, voluntatis & cor-  
dis spoliatum atq; orbatum in conspectu  
Dei & angelorum miserabiliter jacuit, &  
in æternum fuisset omnis vitæ & motus,  
DEO placentis expers, nisi à filio Dei ad  
caput redactum & agglutinatum esset.

22.

Tertiò hæc dulcissima metaphora le-  
ctori in mentã revocat beneficia filij Dei,  
quæ Paulus ἀνακεφαλαιώσιν vocat, id est, re-  
ductionẽ seu agglutinationem ad caput.

*A solo  
Christo fie-  
ri redu-  
ctionem.*

23.

Nam & patri nos reconciliavit placatã  
ipsius irã, & deinceps nos suo gubernat  
Spiritu, & sanctificat ad vitam æternam,  
& sic nos sibi ac assumptæ naturæ copulat,  
ut ipse sit caput, nos membra & corpus  
ipsius, participes cœlestis vitæ, & omnium  
bonorum æternorum.

24.

Quartò de defensione Ecclesiæ, & sin-  
gulorum piorum verbum, quo Paulus u-  
titur, lectorem admonet.

*Ecclesiam  
defensum  
iri.*



DOCTRINA DE COMMUNIONE

25.

Ut enim caput providet & consulit universo corpori & membris singulis, eaque consilio & auxilio juvat, regens & armans locomotivam animali spiritu: sic DEUS non modò consiliarius, sed & auxiliarius ac defensor perpetuus longeque fidelissimus est, ut in historia Jacob dicitur: Ero custos tuus, quòcunq; jeris. Et Abrahamo dicit: Noli timere, ego sum protector tuus & merces tua magna.

Gen. 15. 1.

26.

*Totã universitatem conservatum iri.*

Postremò admonitio in hac voce proposita est de conservatione totius universitatis. Rectè dicunt stoici: Omnia à Deo hominum causà facta esse, hominem verò propter DEUM, id est, ut DEUM agnoscat & celebret.

27.

Quo dicto non obscure significatur, hominem esse finem omnium rerum.

28.

Ut igitur tota creatura deleta fuisset, si Deus hominem, tanquam finem, propter quem reliquæ mundi partes condi-

tæ



tæ sunt, abjecisset: sic contra non solum à filio DEI humana natura ad caput denudò alligata est, sed simul cum homine hæc universitas instaurata est, & propter Ecclesiam conservatur, ut Paul. Rom. 8. dicit. Haftenus Victorinus.

29.

Quæ verba transcribere libuit, quòd in uno illo verbo primaria doctrine Christianæ capita contineantur, & ministrorum Ecclesiæ sit, in verborum & phrasium consideratione esse attentissimos. Ita enim pedetentim apparebit, quod prima fronte latuit.

30.

Addo & præstantissimi Theologi Martini Buceri biennio post mortem in Anglia facti Martyris, tempore Marianæ persecutionis effossis & combustis ipsius exuvijs, de hoc verbo sententiam. (Digressionem hoc meum institutum dixi supra: sed in progressu videntur pleraque huc maximè pertinere.)

31.

Ita autem Bucerus: *Hujus Verbi, ea vis*

*Sententia  
Buceri.*

B 3

est,

DOCTRINA DE COMMUNIONE

est, ut indicet, Christo glorificato Angelos & homines sub unum caput instaurari cœpisse primùm. Atq; est verbum ab epilogantibus (opinor legendũ epilogantibus) sumptum, ut putat Chrysostronus. Hieronymus verò ab Arithmetice, in summam multos redigentibus numeros.

32.

Hic majestatem Christi suspiciamus, quem Deus cœlestium & terrestrium instauratorem constituit, qui homines servat & perficit societatem angelorũ confortio hominũ, cumulatq; illos gaudio, quo afficiuntur conversione peccatoris.

33.

Neq; tantũ sunt instaurati Angeli ratione modò dicta, & quod per Christum cœpit ruina, per malos Spiritus facta, instaurari, cujus maximè desiderio tenebantur: verũ etiam sunt ampliore notitia DEI donati, & ab Ecclesia edocti.

34.

Itaq; pleniorẽ DEI cognitionem simul ac cumulatiõra gaudia per Christũ accipiunt Hæc Bucerus.

35. Quæ

35.

Ev πρὸ  
δω.

Quæ autem de Christo glorificato dicit Bucerus, ea rectè de promisso Christo, editâ promissione de semine mulieris accipiuntur, & accipi necesse est.

36.

Nam illa promulgata, uberiores Dei agnitionem Angeli sunt consecuti, ut infra docebitur in peculiari problemate.

37.

Sententia  
Hemmingij.

Libet & Hemmingij verba adjicere. Ita autem ille: verbum significat dispersa & distracta colligere, consociare & conjungere. Ut enim lapsus primorum parentum disjunct ac dispersit Ecclesiam Angelorum & hominum; ita per filium suum placuit æterno patri consociationem utriusque. Hæc ille.

fieri.

38.

Sed ad ordinem supra institutum revertor. Hujus igitur reductionis ad unum caput, proindeque conjunctionis Christi & Ecclesiæ electorum, perq; hunc

Media-

DOCTRINA DE COMMUNIONE

Mediatorem & ipsius DEI & hominum,  
AUTOR est solus Deus, ut supra dictū est.

39.

DEUM verò nihil movere poterat in  
homine, æstimatione & nomine dignū.

*Impulsiva  
corrum-  
pens.*

40.

*Rom. 5. 12.  
3. 12.*

In uno enim peccarunt, defecerunt, &  
inutiles facti sunt omnes, ita ut qui Deum  
inquirat & bonum faciat, ex omnibus sit  
ne unus quidem.

41.

Impellentem igitur in DEO causam  
quæramus, eamque inveniemus esse ac  
fuisse dilectionem ex mero beneplacito  
manantem.

*Impulsiva  
vera.*

42.

*Ephes. 1. 4.*

5.

6.

Elegit enim nos in Christo æternus  
Pater ante jactum mundi fundamentū:  
& prædestinavit nos, quos adoptaret in  
filios per Jesum Christum in sese, pro be-  
nevolò affectu voluntatis suæ, ad laudem  
gloriosæ suæ gratiæ, qua nos gratis sibi ac-  
ceptos effecit in illo dilecto.

43.

Per verbum autem suum, quod Evan-

gelium

*Media  
commu-  
nionis.*

gelium est, & gratia, veritatis, iustitiae & pacis verbum dicitur, sese & hoc consilium suum patefecit ijs, qui ad communionem illum sunt praedestinati.

44.

Joh. 1. 18.

Eph. 1. 7.

8.

9.

Deum enim nemo vidit unquam, Filius qui est in sinu aeterni patris, ipse enarravit nobis. Vide & Hebr. 1. Paulus ita. Gratia Christi in quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius & remissionem lapsuum, exundavit in nos omni sapientia & prudentia, postquam notum fecit nobis mysterium voluntatis suae secundum gratuitam suam benevolentiam.

45.

Rom. 16.

25.

26.

Alibi Apostolus Evangelium nominat praediconium de Christo, quod a temporibus secularibus tacitum fuit, nunc vero factum est manifestum, & per scripturas propheticas ex imperio aeterni Dei ad obedientiam fidei omnibus gentibus notificatum.

46.

Verbo Evangelij addita est promissio Spiritus sancti, qui dat esse rei.

Εὐαγγέλιον  
Evangelij.

C

47. V-

47.

Utrumque conjungit Deus in foederis verbis. Ita enim per Esaiam loquitur: Hoc est foedus meum cum ipsis, ait Jehova: Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quae polui in ore tuo, non recedent ex ore tuo, aut ex ore seminis tui, ait Jehova, ex hoc tempore usq; in seculum.

59. 21.

48.

Et docet, per verbum & Spiritum sanctum se usque ad finem mundi collecturum esse Ecclesiam, cum qua filius se sit desponsaturus aeternum in gratia, in misericordia, in iudicio, in iustitia, quin in fide, qua concepta tam Sponsum quam aeternum Patrem verè sit agnitura.

Hof. 2. v.

19. 20.

49.

Ergo quos praescivit Filio ex lapso hominum genere uniendos, eosdem & praedestinavit conformandos imagini filij sui: quos praedestinavit, eosdem & vocavit justificavit, glorificavit.

Rom. 8. 29.

*Præsentia  
& præde-  
stinatio  
Dei.*

30.

50.

Præscivit perfectè, prædestinavit sapienter, justè & constanter, vocavit effica-

NB.

citer,

citer, justificavit omnibus peccatis remis-  
sis & ὑποθεσία in filio unico per fidem do-  
nata misericorditer, glorificavit fide & spe  
certissimè glorificandos à facie ad faciem  
realiter.

51.

*Joh. 20. 17.* Nec satis hoc est, sed quia ὑποθεσίαν de-  
*Col. 1. 18.* dit, ergo in communionem Filij colloca-  
*Johan. 10.* vit, & Filius hos in se adoptatos pro fra-  
*Hos. 2. 20.* tribus & sororibus: caput pro corpore &  
*Hebr. 1. 2.* membris: pastor pro ovibus: vitis pro  
*Rom. 8. 17.* palmitibus: sponsus pro sponsa: hæres  
*Joh. 1. 12.* unicus pro coheredibus omnibus in suū  
nomen credentibus habet.

ὑποθεσία  
τοῦ Θεοῦ.

52.

Hæc verò nec tactui, nec visui sensi-  
bulq; hominum externis obvia esse cūm  
perspicuum sit, à Spiritu DEI in Spiritu  
seu anima nostra, ut inchoentur, confir-  
mentur, conserventur ac perficiantur ne-  
cesse est.

Communi-  
o hæc  
sensibus nō  
patet.

53.

*NB.* Media per quæ Deus illam commu-  
nionem efficit, auditui & visui quidem  
patent, verbum enim auribus percipitur:

Ut Media.



DOCTRINA DE COMMUNIONE

Sacramentorum administratio in oculos incurrit, sed ipsa communio omnium sensuum excedit captum.

§4.

*Regeneratio non est corporalis. Nec communio. Nec alimonia.*

Regeneratio certè corporalis non est, sed spiritualis. Talis etiam collatio *ijose-  
oidas*. Talis unio & communio Christi & Ecclesiae, & omnium membrorum inter se. Talis alimonia.

§5.

Qua enim ratione regeneramur & filij DEI simus, nempe per Spiritum *ijose-  
oidas* datae omnibus, in nomen unigeniti credentibus: tali etiam modo jungimur Christo, Deo & homini, tali modo alimur & sustentamur, nempe per Spiritum sanctum & fidem, quæ Christum in cruce oblatum & ad dexteram æterni Patris in cœlis gloriosè exaltatum, semper viventem & regnantem apprehendit & manducat, eiq; nos, tanquam membra capiti nostro conjungit, ut ipse in nobis, & nos in ipso simus.

*Ioh. 6.56.*

§6.

*Quando ista fit.*

Alimur autem & sustentamur, inque

com-



communione Christi perducimur non  
semel, non bis tervé solùm in anno, vel ut  
multi somniant, cùm cœnam Domini  
accedimus: sed semel & semper, cùm fi-  
lium DEI propter nos homines & pro-  
pter nostram salutem de cœlo descendit-  
se, conceptum à Spiritu sancto, natum ex  
Maria virgine, & hominẽ factum, mor-  
tuum & sepultum esse, & ad inferos de-  
scendisse, ita ut inferni cruciatus, & æter-  
næ mortis dolores ineffabiles verè sense-  
rit, & hæc omnia propter nos inq; æter-  
num commodum nostrum, Christum  
sustinuisse, immò nostra illa esse singula  
& universa credimus, cùm resuscitatum  
eundem justitiam & vitam nostram esse;  
cùm exaltatum ad æterni Patris dexte-  
ram in nostrum usum regnare, & de super  
Spiritus sanctum & omnis generis spiri-  
tualia bona nobis affatim conferre, per-  
suasum habemus.

57.

Neq; verò hoc pacto Sacramentorũ u-  
sum, inq; primis Cœnæ Dominicæ exte-  
nuamus & contemnimus. Absit ut id fiat.

commu-  
nio.Sacramen-  
torum usus  
non exte-  
nuatur.

C 3

58. Su-

58.

*Sed maxi-  
mè necessa-  
rius statui-  
tur.*

Superstitiones & operis operati opi-  
nionem facessere ab usu cœnæ jubemus.  
Cœnæ usum ita affirmamus esse necessa-  
rium, ut qui sciens volens abstineat, rea-  
tu æternæ mortis teneatur.

59.

Quin solidum & immotum omnis  
consolationis & justitiæ ac salutis nostræ  
fundamentum monstramus, urgemus,  
propugnamus, quod quàm frigide à qui-  
busdam explicetur & proponatur, con-  
ciones & scripta multorum testantur.

60.

Oralem enim ac essentialem veri cor-  
poris Christi in hostia seu pane latentis  
(cùm tamen in pane latens corpus non  
sit illud, de quo in cœna Christus loqui-  
tur, immò prorsus nullum, cùm carne &  
ossibus careat, visumque & tactum effu-  
giat) manducationem, credentibus & in-  
credulis, pijs ac impijs communem, uni-  
cè urgent, plenis buccis sonant, & scriptis  
maledicis ac virulentis per totum orbem  
Christianum disseminant: hujus verò

com-

communione pleriq; prorsus obliviscuntur, & qui meminerunt, quasi per transennam id faciunt. Ita in defendenda hara occupati, totam urbem diripi patiuntur.

61.

Sed ad rem. Ut igitur tunc *νοῦνοῦν* Filij Dei Domini nostri Jesu Christi unusquisque fidelium verè fit particeps, cum credit, quæ in symbolo Apostolico profiteremur, interque hæc: Carnem Christi etiam pro se in mortem traditam, sibiq; in ara crucis panem vitæ factam, & se ista fide verè in Christo, & Christum in sese unione vera, viva, constanti & efficaci esse: ita in usu coenæ legitimo, divino attingat illius investituræ & communionis sigillo, ab ipso filio Dei ordinato utens, in fide illa sua confirmatur, magisq; cum Christo capite & domino suo coalescit, ipsiusq; se peculium esse, pretio, nec numero exprimendo, nec pondere æstimando, acquisitum, condocet, quemadmodum & ipsi fide & obedientia sese obstrictum esse velle, in usu illo, publicè

coram

DOCTRINA DE COMMUNIONE

coram tota Ecclesia profitetur, ut & in Baptismo Christum induens sanctè est stipulatus.

62.

*In verbo  
& sigillis  
fidei unus  
est Chri-  
stus.*

Nec enim in cœna alius Christus, alius cibus & potus animæ, ad vitam æternam pascendæ & conservandæ necessarius, est fingendus ab eo, quem ipse docet ore & verbo suo, quod est veritas.

63.

Utrobique unus Christus, una & eadem promissio gratiæ, unum & idem corpus, unus & idem sanguis est, una, non diversa fides.

64.

*Sigilla hoc  
confirmant  
quod est  
in literis.*

Nam sigilla id confirmant, quod est in instrumento seu in literis conceptum & contractum ac promissum.

65.

Cùm enim fidei confirmandæ serviant, sanè aliud non continent & offerunt, quàm quod fides literarum divinarum intuitu & vera consideratione vidit & apprehendit.

66.

Rectè igitur omnia de Christo testan-  
tia

tia accipiantur, ut analogia fidei maneat facta tecta.

67.

Vult sanè Christus omnes esurientes & sitentes ad se venire, carnem suam edere, & sanguinem suum bibere, quin, semetipsum edere, qui vitam æternam sint habituri. Verùm ut pedibus nec itur nec venit ad Christum: ita nec corpus & sanguis ore corporeo, propriè loquendo, editur ac bibitur, ut nec ipse Christus. Quis enim, nisi non tantum fide, sed & sanæ rationis usu destitutus affirmabit, totum Christum ore manducari? Nec Christus ad nos tali modo venit, ut in nobis habitet, & mansionem faciat, nempe modo & contactu, coalituq; & cohæsu corporali.

*Pedibus nemo venit ad Christum, post ejus in caelos ascensionem.*

68.

Spiritus igitur sanctus per fidem in electis & regenerationem & *υιοθεσίαν* & Christi & sanctorum communionem operatur & consummat.

*Spiritus S. regenerationem, jus filiorum Dei & Christi communionem operatur.*

69.

Hic enim à Patre per filium missus & in corda electorum effusus, hos regene-

D rat,

*Job. 3. 5.  
Rom. 8.*

DOCTRINA DE COMMUNIONE

rat, fide donat, fide ad æternum patrem  
in Christo deducit, huic copulat & ita  
jungit, ut, sicut Christus à Patre ijsdem  
factus est sapientia, justitia, redemptio &  
sanctificatio: ita & nihil condemnationis  
in ijsdem sit: quia in Christo sunt & æsti-  
mantur.

1. Cor. 1. 30.

Rom. 8.

70.

S. S. artha  
salutis no-  
stra.

Imò ἀρραβὼν est Spiritus S. salutis nostre,  
nobis ab æterno in Christo, capite & do-  
mino nostro prædestinata, ac in tempore  
collata, & in æternum consummandæ.

Eph. 1.

71.

Huic qui agglutinatur, unus Spiritus  
est, id est, non tantum Christo, tanquam  
capiti, unitur, sed & à Spiritu Christi ita  
illuminatur, ut percipiat & sentiat mo-  
tus, causæ operanti, & in se agenti, pro  
modulo suæ capacitatis, convenientes.

72.

Non enim omnib<sup>9</sup> una mensura Deus  
admetitur & donat Spiritum sanctum:  
singulis tamen, quantum ad commu-  
nionem Christi & æternam salutem, suf-  
ficit.

1. Cor. 12.

6. 11.

73. Ita

73.

Johan. 17.  
ult.

Eph. 1.

Matth. 3.

ult.

Eph. 5.

1. Job. 1. 7.

Rom 8.

Ita Sponsa copulatur Sponso: membra capiti: oves cum pastore suo junguntur, ut dilectio æterna sit in eis, ut in filio unigenito: ut censeantur in capite, adoptati ἐν ἡγάπημῶν, ἐν ᾧ ἐδόκησεν ὁ πατήρ: mundati lavacro aquæ, & Spiritu sancto, ac Christi sanguine, ut sint sine macula & rugis, ut sint filij & filia, hæredes ac cohæredes ita copulati, ut nec ex Christi, nec æterni patris manu unus vel de minimis rapi & perdi ac perire possit.

74.

Pater enim, inquit Christus, qui dedit mihi oves meas, major omnibus est, & ut ego mihi prædestinatos & ab æterno Patre datos, & sanguinis fusi, & mortis obitæ pretio meos factos, & sanctè vocatos, mihi que vinculo æterno unitos, eripi mihi, nunquam patiar. (Securum enim me esse oportet de numero meorum, qui scio, quid pro ipsis dederim) Ita nec æternus Pater committet, ut, quod ipsius dono meum est, ipsi eripiatur.

75.

Hinc Ecclesie ἰσοῦρος seu Christo quasi

D 2

cor-

DOCTRINA DE COMMUNIONE

correspondens confessio in genere. Nemo nostrum sibi ipsi vivit & nullus sibi ipsi moritur. Nam, sive vivimus, domino vivimus, sive morimur, Domino morimur. Sive igitur vivamus, sive moriamur, Domini sumus.

76.

In specie. Non vivo ego, sed in me Christus: qui cum ipsa vita sit, fieri aliter non poterit, quam ut ipsius sim & maneam in vita, in morte, & in æternum. Veniet enim caput suo tempore, & electam Ecclesiam, suum corpus cum omnibus membris, suum dilectissimum corculum (Sponsam) per suum ipsius Spiritum, fide ipsi in hac vita unicum, & æterno foedere, ad se recipiet, ut sit ibi, ubi ipse est, ornatum vita, gloria & læticia sempiterna, omnia in omnibus operans. Huic sit laus & gloria in omne ævum, Amen. Veni Domine Jesu, & nos miseros, quando tibi visum est, tibi clementer à facie ad faciem adjunge,  
Amen.

Rom. 14.

7.

8.

Gal. 2.

Matth. 25.

& alibi.

AP.





APPENDIX.

1.

Communio Christi & Ecclesiae fons est  
communione fidelium inter se.

2.

Ut enim ab uno pendent capite, uno re-  
guntur Spiritu, una fide justificantur &  
Christo uniuntur, unaq; spe promissam ater-  
nae vitae patriam expectant; ita & membra  
sunt inter se ad unum corpus sub isto capite  
pertinentia.

3.

Ergo & gaudent cum gaudentibus, flent  
cum flentibus, & necessitati suae communi-  
cant mutuo.

4.

Hinc Paulus colligit in Macedonia & a-  
pud Corinthios eleemosynas pro fratribus  
Hierosolymitanis. Fridericus III. Elector  
Palatinus ad Rhenum, PII cognomen ad-  
eptus, pro Oleviano, apud Collegam Trevi-  
rensem, liberando, feliciter; frustra pro  
Anna Burgio apud Henricum Gallum in-  
tercessit: Elector Saxonia, re & nomine  
CHRISTIANUS, Regi Navarreo, post etiam

☪☪☪ ☪☪☪ ☪☪☪

Gallarum regi victorioso, sceleratè autem  
interfecto à Jesuitarum, toxico dementa-  
to sicario, suppetias militares, DUCE Prin-  
cipe fortissimo Christiano ANHALDINO tunc

5.

Hac affectio nota electionis & fidei in-  
dubitata est.

6.

Contrà, possidens bona mundi hujus, &  
videns fratrem egere, eiq; claudens ma-  
num, an novitias hujus etiam eterne vite  
pronunciabitur factus esse particeps?

7.

Probet igitur unusquisque & se & opus  
suum, & quo nomine apud Deum, qua laude  
dignus sit, facile deprehendet.

### PROBLEMA.


Suprà, aphorismo 36. dictum est, per Chri-  
stum Angelos uberiori Dei cognitione ef-  
se donatos; *Quaritur igitur; Quomodo id  
factum?* Resp. Angeli, licet magna sapien-  
tia & Dei cognitione illustri sint donati, cer-  
tum tamen est, illam sapientiam finitam esse.  
Cum igitur vidissent, ex suo numero aliquot  
legiones à Deo creatore suo defecisse, & ob id

in x.

— 36 —

in æternum è cœlo proscriptos esse, ac in æternam iram & ignem damnatos : & paulò post experirentur, etiam homines ad imaginem Dei creatos, itidem creatorem suum deseruisse; & ad hostem Dei diabolum transiisse, hujus verba vaniloqua, quàm ipsius *DEI* verba, non nisi veritate constantia, pluris æstimasse: aliter colligere non poterant, quàm conjunctos in culpa minimè posse separari in pœna: itaque aliter fieri non posse, quàm ut in æternum à Deo damnarentur & abjicerentur homines. Edita verò promissione de semine mulieris contrituro caput serpentis, discunt, Deum non tantum esse justum, sed etiam misericordem: nec tantum punire sui verbi & voluntatis transgressiones, sed & remittere peccata, & æternam peccati pœnam; sed ita, ut, quod peccator, sua promeruit culpa, puniatur in Mediatore inter *DEUM* & homines, ab ipso *DEO* constituto, semine Mulieris. Ita manet & declaratur *DEUS* verax, justus & misericors, immensæ sapientiæ & potentia.

Hac ratione profecerunt Angeli in agnitione sui creatoris, & lætati sunt, hominibusq; gratulati, quòd turpis ἀποστασία Diabolorum, & dissipatio angelicæ Ecclesiæ, gratuita hominū receptione, per filium Dei reconciliandorum & redimendorum, reconciliatorum & redemptorum, ex mero *DEI* beneplacito; sit resarcienda & sarcita. Ὅτι ἐστὶν πᾶσι σαφ.



## V O T U M.

Pro felici & Salutari Conjugio Illustris.

**C**hriste caput, gaudens aeterno in fœdere tecum,  
Agmen credentium pace & honore frui,  
Te precor, haud precibus clemens te subtrahere nostris,  
Consilio Sponsos auxilioq; juva.

Te nôrint unum rectè, venerentur & unum.

Ceu jubet ex patris vox patefacta sinu.  
In te unum credant, sperent, totiq; recumbant,  
At te ipsis veniat non aliunde salus.

Sit verbum fidei sit vita & regula morum,

Sic tamen ut verbum mens genuina probet.

ArMa thoro Cedant, sIt PaX sIt & aVrea

SponsIs,

Hos Leto IVngat gLVtIne fIDVs aMor.

Sint scopus aeterna reparata Palatia vita,

Non ubi qui nocet est, qui docet unus eris.

Sit patria Augustus Sponsus Pater, atq; Sibylla

Sponsa sit Ascania mater amœna sua.

Sponsæ Illustrissimæ.

Lusitet in gremio post denos inclyt a menses

Sponsa vel Augustus, sive Sibylla tuo.

F I N I S.

Nh 122



ULB Halle 3  
002 714 272




st 02

1017







ΓΑΜΗΑΤΟΝ ΤΗΕΟΛΟΓΙΟΝ  
Consecratum nuptijs  
*Illustrissimi & Generosissimi Principis ac Domini,*  
**Dn. AUGUSTI, PRINCIPIS  
ANHALTINI, COMITIS  
ASCANIÆ, ET DOMINI**  
Servestæ & Berenburgi.  
Ac  
*Illustris & Generosa Domina,*  
**DN. SIBYLLE**  
Comit. Solmensis, Dn. in Müntzenberga &  
Sonnevalda, D. D. S. S. clementissimis.  
*à Reçuâ Τουαίωζ*  
**M. ZACHARIA VVENNEMEYER O** Asca-  
nio in Ecclesiâ & aulâ Plötzkavianâ Pastore.  
*Continet hoc γαμήλιον locum de communione Christi & Ecclesie.*  
Additum est votum pro felici & salutari Conjugio.  
ANNO M. DC. XVIII.

Nh. 122